



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1601.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**



# EVENTUS MEMO- rabiles sæculi decimi septimi.

ANNUS 1601.

**R**omæ hujus sæculi annum primū  
celebrem fecit S. Raimundus de  
Pennafort ex Ordine D. Domi-  
nici, quem Clemens VIII. 29 A-  
prilis ritu solenni Sanctorū fastis adscripsit.

In Ungariâ Albam Regalem Dux Mer-  
curius è domo Lotharingica sub auspiciis  
Rudolphi Cæsaris vi expugnat, & cum de-  
cem millibus quinquaginta Turcarum mil-  
lia cædit fugatque, occiso in prima acie ipso  
Duce Nickai Bafsâ. Obsidionem e contra  
Canisæ, quæ anno superiori fuerat amissa,  
post multas molestias & mortem plurimo-  
rum solvere cogitur Ferdinandus Archidux,  
relictis hosti impedimentis & tormentis fe-  
rè omnibus.

In Hispania nascitur Regis primogenita  
Anna Maria Mauritia 22 Septembris; & in  
A Gal-

Gallia Delphinus Ludovicus 27 ejusdem mensis, cui recens nato pater Henricus IV. capulum gladii inseruit dexteræ, precatus, ut eo ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem uteretur.

Carolus Dux Sudermanniæ patruus Sigismundi Regis Poloniæ & Sueciæ à statibus regni Suecici in Regem eligitur, perfidus à perfidis, hæreticus ab hæreticis.

In Anglia Robertus Comes Essexius Reginae Elisabethæ gratiâ excidit, & conjunctionis factus reus, sub ferro carnificis vitam ponit;

Impostor quidam Regem Sebastianum dudum in Africa à barbaris cæsum se esse mentitus, turbat Lusitaniam, & in varias factiones optimates distrahit.

Eodem anno ineunte Julio obsidione cingit Ostendam urbem Flandriæ fœderatæ maritimam Albertus Archi-Dux, sed non nisi post triennium expugnandam.

## ANNUS 1602.

**R**omæ damnatur opinio quorundam Theologorum, qui putabant pœnitentem absentem per litteras peccata sua confessum absolvi posse; Ibidem controversia